

Dioptram unam in Regulâ ad puncta 100. alteram verò ad longitudinem: reperiesque in Regulâ puncta 940. unde longitudo quæsitâ erit punctorum 9400. Quòd si Dioptram de 100 punctis volves ad puncta vel gradus 50. erit distantia quæsitâ pedum 15500.

*Altitudinis  
& profun-  
ditatis geo-  
dæsiâ eadem.*

Si porrò dimetienda est profunditas putei, vel alterius rei, & pedes non plures, quàm decem, vel etiam pauciores, propter loci incommoditatem, habere ad stationem tuam potes, tunc ita operare: Volve Dioptram ad 100 vel etiam 200 puncta (& ad stationem tuam pedes habes 10.) abscinditq; altera Dioptra in Regula 800 puncta, erit profunditas, sive altitudo quæsitâ, pedum 80. Dioptra siquidem in 100 constitit punctis.

Hæc de usu Instrumenti, in genere præmissa sufficiant; cuius frequens exercitatio Geometriæ studiosum solertem expertumque tandem dabit.

### C A P V T V.

*In dimensionibus Geometricis duo semper triangula  
conspici.*

**M**ETIENTI longitudinem, altitudinem, latitudinem & profunditatem, duo semper triangula æquiangula apparent; unum quidem per lineam notam in area vel campo magnum: alterum verò in Instrumento parvum vel minutum: Verùm proportionale illi; quod videtur in area vel campo. In quibusdam Instrumentis triangulum ejusmodi conspicitur inversum: in hoc verò nostro rectum: ut in Figurâ capitæ sequentis lucidè proponitur.

### C A P V T